



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Quæstio II. De Divisione Relationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

OBJECIT V. Viharum responsionum sequi, quod possit dari identificatio accidentalis, et tamen quid est magis essentiale rei, quam esse id, quod est; cum in hac propositione identica, subiectum à prædicato ne quidem ratione nostra distingvatur.

RESPONDETUR. Non posse esse identitatem accidentalem hoc sensu, quasi aliquid accessu suæ entitatis identificetur, recessu non identificetur: id enim implicat; sed potest esse identificatio accidentalis; hoc sensu, quod possit dari denominatio, quæ sit illud ipsum in tali circumstantia: & quia illa denominatio identificatur huic in tali circumstantia posito, si poneretur non identificata tunc, cum ponitur illud in tali circumstantia, verè identificatio illa esset accidentalis: quod quia in principiis nostris non evenit, hinc nec ponimus hoc sensu identificationem accidentalem.

NOTO. Contra obijcientem bonam esse hanc instantiam. Si per impossibile auferretur Deus, & per impossibile maneret homo, immediate desineret in illo relatio creaturæ; quantumvis relationem creaturæ non compleat DEUS per modum partis. Quod enim dicit obijciens, relationem transcendentelem creaturæ ad Deum esse primo essentialem rei absolutæ puta homini, id à nobis negatur, sed quantumvis etiam concederetur nihilominus supponere *Si per impossibile maneret homo & non referretur ad Deum relatione creaturæ*, non foret adhuc suppositio impossibilis tollens se ipsam, Quia tunc ablato primo essentiali conceptu alicujus, ponere illud mer ipsum, esset suppositio impossibilis tollens se ipsam, quando illud mer ipsum secundum quod supponitur esse, definiretur sub illa formalitate per illum primo essentiali conceptum, qui supponitur auferri: nam verè tunc sub qua formalitate affirmaretur, sub eadem negaretur, Jam autem homo, qui supponitur in hac suppositione impossibili, manere in ratione hominis, non definitur per relationem creaturæ ad DEUM. Er certe in particulari loquendo, tunc est suppositio impossibilis tollens se ipsam, quando idem eodem modo sumptum affirmatur & negitur v. g. si definitum de se ipso definito affirmetur & negetur, Ut si dicas si per impossibile esset homo, & non esset homo. Item si de definito negetur definitio tota, vel si definito negetur pars definitionis verè enim idem affirmaretur & idem negaretur: quia autem homo & creatura, nec sunt sicut definitum & definitum idem, revera enim duplex est hoc definitum. Item cum homo sub formalitate hominis, non sit definibilis per creaturam totaliter vel accipiendo pro parte definitionis creaturam, cum homo pro partibus definitionis dicat animal & rationale: Ideo hoc supponere, quod maneat homo per im-

possibile, sine relatione creaturæ ad DEUM, non est supponere suppositione impossibili tollente se ipsam. Illud etiam quod addit, ablato per impossibile solo DEO, & manente homine, non mansuram rationem creaturæ, solum arguitivè & mediatè; quia scilicet tunc tolleretur aliquid realiter adæquatè distinctum non quidem ab homine, benè tamen à Deo, nempe definitio objectiva creaturæ hoc unquā quod dicit non convincit. Nego enim arguitivè & mediatè auferendam tunc relationem creaturæ, nec constat quid sit & quid significet ablato DEO, auferri definitionem objectivam creaturæ; & quamvis hoc explicetur, adhuc ostendetur non arguitivè & mediatè tunc auferendam relationem creaturæ; Nam cum relatio creaturæ non sit in DEO, sed in homine, non in DEO sed in homine ostendendum esset, quod auferatur aliquid præter ablationem termini hoc est DEI: si autem non ostendetur in dicta suppositione auferri aliquam entitatem, cum auferatur relatio, verè non per hoc ablato termino relationis transcendentalis, vere inquam non per hoc eximitur à conditione partis, quod mediatè tunc auferatur relatio: verè enim nulla alia entitate præter entitatem termini sublata, auferitur, cum tamen mediatè auferri per hoc explicetur, quia præter terminum, auferitur alia entitas.

QVÆSTIO II. De Divisione Relationis.

DIVIDITUR I. Relatio in Realem & Rationis; Realis est ejus fundamentum, subiectum, ratio fundandi, Terminus datur à parte rei nemine cogitante. Relatio rationis, est relatio, quæ verè non est in re, apprehenditur tamen esse, ut cum apprehendimus animalis rationem, respicere inferiora, cum animal istud superius, non sit, nemine cogitante.

Circa hanc divisionem in particulari quæri posset: an relatio prioris & posterioris sit realis; an rationis.

ASSERO I. Nulla ex his relationibus est de se prædicamentalis. Ratio: quia relatio prædicamentalis exigit extrema realia Physica existentia, potest autem esse relatio prioris & posterioris, quin sibi coexistent licet sibi coexistere possint; ut Pater cum filio convivens.

ASSERO II. Potest quis theri non esse hic relationem sed meram denominationem. Ratio quia non est relatio prædicamentalis, casu ut dixi quo non existat terminus; nec transcendentalis; quia potest poni subiectum hujus relationis

nis quod est prius, & non habere rationem prioris, ergo ex fundamentis de Relatione transcendentali dicendorum, non erit illa relatio transcendentalis. Ergo tantum debet poni denominatio.

ASSERO III. *Posito quod quis tueretur intervenire hic relationem, tunc in linea merè prioris & posterioris erit relatio transcendentalis.* Ratio quia impossibile est poni prius & non respondere illi posterius; nec se ista habent, in hac linea sicut entitas Patris, quæ poni potest quin potest quin ponatur filius. Dixi in linea merè prioris & posterioris, quia specificativè acceptum prius, poterat esse posterius, in alio enim ordine poterat Adam, esse filius Abelis, ut aliàs etiam dictum.

ASSERO IV. *Posito quod hic sit relatio, erit relatio realis, ratio quia non pendet à nostris conceptibus quod hoc sit prius illud posterius, ergo si hic est relatio, erit relatio realis.*

ASSERO V. *Posito quod Relatio posterioris ad prius sit realis, etiam relatio prioris ad posterius erit realis.* Ratio tum quia non est major ratio unius quàm alterius. Tum quia vel supponitur aliquid realiter esse prius, vel non realiter prius, si non realiter prius de illo non est disceptatio, si realiter prius, quid illi deerit ne habeat relationem realem? Tum quia si referretur relatione reali posterius ad prius, non autem prius ad posterius, illud posterius vel non haberet prius reale, ergo nec ipsum esset posterius reale: vel illud posterius si haberet prius reale, quare habitudo illius prioris realis, in ratione prioris realis, vel esset realis vel non esset: si non esset habitudo realis, quomodo erit prioritas realis. si esset habitudo realis, ergo & relatio realis, hæc enim verbis differunt, & certe prius istud reale, est non ad se realiter, nihil enim respectu sui est prius, ergo prius realiter ad aliud, ergo prius realiter relativè ipsum enim ad aliud, est istud relativè.

DICES I. Cum Mauro qu. 54. hic Ordo prioris & posterioris addit rebus pulchritudinem & perfectionem; sed quod addit novam pulchritudinem ordinis addit entitatem distinctam, ergo ordo prioris & posterioris addit entitatem distinctam. Sed talis ordo & relatio non potest dari in re priori, sed solum in posteriori; nam res naturaliter loquendo, nullam perfectionem aut pulchritudinem possunt acquirere, ab aliquo futuro, quod non est, sed erit, quo pacto non potest secundari terra de præsentia, à pluvia futura, potest autem acquirere perfectionem & pulchritudinem à re præterita, quo pacto terra de præsentia est fecunda, à pluvia præterita.

RESPONDETUR. Videtur hoc Argumentum se ipsum involvere, nam si ut asseruit in majori, non tantum est pulchritudo ex ordine

posterioris, sed etiam ex ordine prioris, hoc ipso tueri debet, quod relatio, quia & pulchritudo, debet admitti in ordine prioris. Directè autem dici potest, quod ordo præcisus prioris & posterioris addat rebus pulchritudinem & perfectionem Metaphysicam, adeoq; sine superadditione novæ entitatis, quam pulchritudinem Metaphysicam, nego quod res accipere non possint, ratione alicujus posterioris, ita tamen ut pulchritudinem, secundum quod dicitur illa in recto res, habeat ab aliquo præsentia, hoc est entitate quæ denominatur prior, in obliquo autem ab aliquo futuro. De secunditate pluviae aliud est, quia secunditas illa est quid Physicum, tamen etiam in Physicomoralibus futura dignitas, est motivum reverentiae & honestioris tractationis, futura secunditas agnorum, est materia contractuum præsentium, & anticipatæ solutionis.

DICES II. Si non esset relatio realis posterioritatis, ideo inter alia non esset, quia non apparet, quomodo talis relatio v. g. ad Julium Cæsarem propagata fuerit: sed hoc non obstat, sicut enim gesta illius, consequuntur sui memoriam, quæ est quædam relatio intentionalis, ita relinquunt relationem sui, quæ est memoria non intentionalis, tota quæ historia rerum, est impressa in natura, per relationes impressas entibus, unde in die iudicii, sicut aperientur libri conscientiarum, ita aperientur libri relationum.

RESPONDETUR. In primis hoc argumentum potius probat relationem prioris esse perpetuam & descendentem usque ad nos, quia etiam non posteriorum memoria seu relatio, sed priorum tanquam objectorum, sicut memoria, ita & relatio est. Posito quod relinquatur relatio posterioris, dico non esse relationem cur non relinquatur relatio prioris. Item negatur relationes imprimi rebus, delibris autem relationum aperiendis, est mera imaginatio.

DICES III. Debere explicari quid sit fuisse: id autem quam facillime explicatur in nostra sententia, explicari non posset in contraria.

RESPONDETUR. Per nos Fuisse, est entitas quæ habuit præsentiam, qua modo caret, quod est facilius, quàm ponere illos relationum libros, quos nec ratio nec autoritas firmat.

DIVIDITUR II. Relatio. In relationem secundum Esse, & in relationem secundum Dici. Relatio secundum Esse, est eadem quæ & realis; relatio secundum Dici variè explicata videatur ab Oviedo. Potest dici quod relatio secundum dici, sit ea, quæ intercedit inter extrema, quæ non possunt explicari sine ordine ad aliud, licet illum ordinem in se non dicant primo.

Divi-

DIVIDITUR. III. Relatio. In Mutuam & non mutuam. Mutua relatio est, quando utrumque extremum, respectivum est realiter, adinvicem; & ita Pater Filium, Filius Patrem respicit. Non mutua relatio est, quando ex una tantum parte, correspondet relatio realis. Sic v.g. non est mutua relatio inter Scientiam, & Ens rationis. Relativa mutua, subdividuntur in Relativa Disquarantiae, quæ non habent æqualem comparisonem, atque appellationem, ut Pater, Filius. Relativa autem Equiparantiae sunt, quæ sunt relati-
va æqualis comparisonis, quali comparatione referuntur duo similia.

DIVIDITUR. IV. Relatio à Scot. in 4. dist. 17. q. 1. in Relationem Extrinsecus advenientem, & Intrinsecus advenientem. Relatio Intrinsecus adveniens, est, quæ posito fundamento & Terminò, illico necessariò confurgit, & talis est relatio similitudinis. Relatio extrinsecus adveniens est, quæ non necessariò confurgit, sed desideratur aliquid ut pullulet relatio, & ita v.g. posito agente, & posito passò, nondum est actio, quam ille vult, esse extrinsecus advenientem relationem, sed erit ubi adfuerit debita applicatio passì, & agentis. Posteriora 6. Prædicamenta voluit esse Scotus Relationes extrinsecus advenientes. Relatio autem Intrinsecus adveniens, constituit per Scotum prædicamentum Relationis.

Contra hanc divisionem est, ex Suar. Tum quia sunt aliquæ relationes; extrinsecus advenientes, quæ tamen non sunt ex illorum numero, sex Prædicamentorum, & ita Unio est per illum Relatio extrinsecus adveniens, & tamen non nisi ad formæ prædicamentum revocatur. Tum quia Propinquitatis relatio, inter Petrum & Paulum, est relatio Prædicamentalis, consequenter per Scotum intrinsecè adveniens; & tamen non hoc ipso, quia Petrus & Paulus ponuntur in rerum natura, sunt sibi propinqui. Tum quia ex eodem Suar. & Arr. quando dicit Scotus esse aliquas relationes, quæ posito fundamento & terminò non necessariò resultant, sunt quæ extrinsecè advenientes, vel loquitur de fundamento remoto, vel de fundamento proximo, si de fundamento remoto, hoc est accepto non cum ratione fundandi, hoc ipso omnes relationes erunt extrinsecus advenientes, omnes enim sine ratione fundandi esse non possunt. Et certè sicut potest esse hic ignis & hic ignis, sine eo, quòd unus causet alium; ita potest esse hic paries, & hic paries sine eo, quòd sint similes, si absit ratio fundandi, si verò loquitur de fundamento proximo, accepto scilicet cum ratione fundandi, nullæ erunt relationes extrinsecus adve-

nientes, impossibile enim est esse hunc, & hunc ignem, in circumstantia rationis fundandi, quin ignis producat, dicat relationem ad ignem productam.

DIVIDITUR V. Relatio in Transcendentalem, & Prædicamentalem. de qua sit.

DIFFICULTAS I.

Quæ sit Distinctio apud alios inter Relationem Prædicamentalem & Transcendentalem.

EXPLICATUR I. Aliqui apud Suar. d. 47. l. 4. n. 2. distinctionem inter Relationem Prædicamentalem, & Transcendentalem ex parte termini ponunt, quod scilicet Transcendentalis, non requirat actu existentem Terminum, sed possit ad possibilem tantum terminari, scilicet relatio Prædicamentalis.

Hæc explicatio.

NON SATISFACIT. Quia ut ait Suar. dantur aliqui respectus Transcendentales, qui esse non possunt sine terminò actuali, & ita Modi, qualis est apud Modalistas Unio, actio, &c. sunt tales, qui sine terminò actuali esse non possunt, & tamen dicunt ad Terminum Relationem transcendentalem. Deinde ut ait Ovied, mala erit hæc consequentia; Hæc relatio non potest existere sine terminò, Ergo est Prædicamentalis, erit inquam mala, quia dantur relationes Transcendentales, quæ non possunt sine Terminò actuali existere. Ex quo colliges, non omni relationi Transcendentali, convenire hoc, quod possit esse sine terminò. Bona verò erit hæc consequentia. Hæc relatio existit sine terminò. Ergo est Transcendentalis.

RESPONDEBIS. Ex conceptu communi Relatio Transcendentalis non exigit terminum actualem, quantumvis aliqua specialis Relatio Transcendentalis hoc exigit.

CONTRA. Ergo non ostendis regulam unde in particulari dignosci debeat, quod hæc Relatio sit transcendentalis, sicut si posset aliquis Leo in particulari esse hinnitivus, quamvis ratio communis Leonis, non exigeret rationem hinnitivi, non ostenderes indicium, unde colligi debeat, quod hoc in particulari animal, sit Leo, & non equus; cum & equo huic in particulari, & huic in particulari Leoni, hinni-
niti conveniret.

EXPLICANT II. Aliqui cum Hurt. Arr. Ovied. Distinctionem inter Transcendentalem & Prædicamentalem Relationem ex parte Fundamenti, ut illa scilicet Relatio sit Transcendentalis quæ adæquatè & essentialiter identificatur fundamento, unde etiam provenit, ut sine illa nec esse, nec concipi possit, qualis
† O o 2 est

est relatio Creaturæ ad DEUM, unionis ad extrema. Prædicamentalis verò est illa, quæ subiecto merè accidit, & ab eo separari potest, ut Paternitas ab Adamo. Idem in re aliis verbis tradit Oviedo, eò, quod relatio Transcendentalis adæquatè identificetur subiecto; Prædicamentalis autem inadæquatè distinguatur, eò, quod componatur ex termino.

Hæc explicatio.

NON SATISFACIT. Tum quia supponit, quod relatio Prædicamentalis, idque Metaphysicè spectata (nam de tali hic quæritur) componatur Termino, tanquam parte. Tum quia Relatio ista Prædicamentalis, vel accidit accepto fundamento in circumstantia termini, & rationis fundandi posito, & sic falsum est, relationem separari, à fundamento ita sumpto, imò si impossibile est esse relationem & non dicere esse ad, ita impossibile erit accipi ita fundamentum, & non dicere, Esse ad, cum esse Ad, sit ipsum ita acceptum fundamentum, si autem accidit Relatio Prædicamentalis fundamento, extra circumstantias Termini, & Rationis fundandi, posito, Ergo etiam Relatio Transcendentalis, erit Relatio Prædicamentalis, nam etiam Relatio Transcendentalis, si terminum, quem respicit non habeat, & rationem fundandi, certo Relatio Transcendentalis non erit. Tum quia Relatio diversitatis, quam dicit Creator ad actualement Creaturam, est Relatio Prædicamentalis, & tamen essentialiter identificatur fundamento, nec potest unquam abesse à Creatura & DEO, Ergo relatio Transcendentalis, non est sola talis, quæ nunquam possit abesse à fundamento.

EXPLICANT III. Aliqui discrimen, inter Relationem Prædicamentalem, & Transcendentalem, quod Transcendentalis sit, cuius ratio fundandi, est intrinseca subiecto, in quo est, in Prædicamentali autem ratio fundandi, est extrinseca subiecto.

Hæc explicatio.

NON SATISFACIT. Tum quia Petrus & Paulus, referuntur ad se in ratione similis actu in natura humana, & quidem referuntur relatione Prædicamentali, & tamen ratio fundandi hanc relationem, est intrinseca subiecto, ipsa scilicet convenientia in ipsa natura humana. Tum quia vel ista ratio fundandi, est extrinseca subiecto, in circumstantia requisitorum posita, vel extra circumstantias requisitorum; si extra circumstantias, etiam erit extrinseca ratio fundandi, in relatione Transcendentali, siquidem etiam hæc, si requisita tollantur, esse non potest; si verò sumatur ratio fundandi in circumstantia

requisitorum, non videtur illi fore extrinseca, jam enim hoc ipso subiectum erit simile, simili autem esse simile, non est extrinsecum, sicut nec accidenti esse accidens, est extrinsecum. Tum quia. Si in prædicamentali relatione ratio fundandi, est extrinseca subiecto, ideo videretur esse extrinseca, quia deberet esse distincta entitative, hoc autem de omnibus relationibus Prædicamentibus falsum est, quia ex probabili sententia termini quantitatis, non sunt superadditi realiter, & tamen etiam sunt ratio fundandi relationem in quantitate, è contra unio, Materiæ unitæ, est ratio superaddita extrinseca, hoc est entitative in multorum sententia distincta, & tamen saltem ipsa unio, refertur ad unibilia relatione transcendentali, quantumvis sit quid extrinsecum unibilibus hoc est ab illis distinctum quid.

EXPLICANT IV. Scotistæ; Quod relatio Prædicamentalis, in solo prædicamento ad aliquid contineatur, vagetur autem per plura prædicamenta, relatio Transcendentalis.

Hæc explicatio.

NON SATISFACIT. Tum quia Relatio hæc in particulari hominis ad Deum, est relatio Transcendentalis, & tamen hæc numero relatio, non vagatur per plura prædicamenta. Tum quia non satis explicari potest, quid sit istud vagari Relationem Transcendentalem cum etiam Prædicamentalem, & Substantiæ, & Quantitati, & Qualitati, & reliquis prædicamentis competat. Tum quia ut ait quidam accidens vagatur per novem prædicamenta, Accidens autem Quarti modi non vagatur, & tamen non dicitur Accidens non esse Transcendentale, aut unum esse Transcendentale, aliud Prædicamentale, ergo etiam & relatio ex eo, quia vagatur per plura prædicamenta non debet dici Transcendentalis.

EXPLICANT. Alii cum Thomistis præcipuè cum Cajet. in op. de Ente & essent. c. 7. 9. 15. cum Suar. & aliis. Quod relatio Prædicamentalis respiciat aliud ut purum terminum, relatio autem Transcendentalis non respiciat ut purum terminum. Idem hac phrasia alii explicant, quod relatio Transcendentalis non importet formalem rationem essendi ad aliud, sicut prædicamentalis, sed rationem formalem essendi ab alio, ex quo aliud &c.

Hæc explicatio.

NON SATISFACIT I. Tum quia vi huius explicationis sequitur, nullam esse relationem quæ non sit Transcendentalis, quia nulla erit, quæ respiciat purè terminum, quod probatur. Quando cognitio respicit suum Objectum non respicit illud ut purum terminum, quia respicit ut cognitum & ta-

& tamen respicit Transcendentaliter, ideo item Unio hypostatica transcendentaliter respicit verbum, non ut purum terminum quia respicit ut unitum. Ergo & relatio convenientiæ in albedine, non respicit, parietem ut purè terminum, sed respicit ut habentem aliam albedinem. Tum quia si respicere aliud ut Subiectum, Objectum, Efficiens, Finem &c. facit, non respicere ut purè terminum; quare, respicere ut participans aliam albedinem, non facit, ut non dicatur respici pure terminus. Tum quia simile non respicit terminum æqualem, sed tantum similem, nec æquale respicit similem terminum sed æqualem, si autem purum terminum respiceret, & æqualitas, & similitudo, non esset ratio, cur æquale, non respiceret, eundem terminum, cum simili. Tum quia si relationes in particulari, respiciunt purum terminum, Ergo omnes eundem terminum habent, sicut quando parietem hunc qui est in Schola, respiciunt omnes alii parietes, in quantum habet etiam v.g. albedinem, censetur habere omnes illi parietes, eundem terminum. Tum quia si relatio transcendentalis, per doctrinam oppositorum non distinguitur per fundamentum non purum, per rationem fundandi non puram, ergo nec distinguitur, per terminum non purum.

NON SATISFACIT. II. Quia non obstat, quominus similitudo, dicatur respicere purum terminum quamvis respiciat illum habentem, talem Qualitatem. Ergo etiam non obstat, quominus Creatura respiciat Deum ut purum terminum, licet eum respiciat ut principium effectivum, præcipue, cum possit dari Relatio Prædicamentalis, generantis, & geniti, actus producentis, & actus producti, quæ relatio importat respicientiam ad principium effectivum.

NON SATISFACIT. III. Ideo Relatio Prædicamentalis, v.g. Relatio similitudinis respicit purè terminum quia non ex eo quod respiciat illum, est similis; sed etiam Creatura, quando respicit Deum ut principium effectivum, non ex eo præcisè, quia illum respicit, est Deus Creaturæ principium effectivum neque enim ex eo quia Deum Creatura respicit, Deus est omnipotens. Ergo Creatura ad Deum refertur ut ad purum terminum.

DIFFICULTAS II.

Assignatur hoc distinctivum.

RELATIO TRANSCENDENTALIS, PER HOC CONDISTINGUITUR À PRÆDICAMENTALI, quod Relatio Transcendentalis sit rebus essentialis, & ita, innestitur rebus, ut si res conceptu adæquato de-

beat concipi, non possit unquam concipi sine illa, & ita, si homo conceptu adæquato concipi debet, non potest concipi sine esse Creaturæ; unio item sine ordine ad unibilia, & ipsa relatio quæ talis, sine ordine ad terminum; Et quia Essentiæ rerum sunt indivisibiles, nec potest illarum una pars poni, alia non, hinc jam relatio Transcendentalis à Prædicamentali, per hoc distinguitur à posteriori, quia posito subiecto, vel extremo transcendentaliter referibili, hoc ipso quia illud ponitur, impedibiliter etiam à DEO, debet habere Terminum, seu aliud extremum, ad quod exigit terminari, debetque eo ipso habere, proportionatam rationem fundandi. Cæterum subiectum relationis Prædicamentalis, non est tale, ut sit illis, essentialis relatio, nec ex eo quia ponitur, subiectum illius relationis hoc ipso, & illius relatio ponitur; errè enim, potest esse paries albus, & non ex eo statim dicere Relationem similitudinis; nec exigitur, ut quia ipsum subiectum ponitur, ponatur & extremum quod terminet Relationem ejusdem subiecti.

Dixi. Non Relationem Transcendentalem, sed illius subiectum esse tale, ut posito illo, necessarium sit respondere, & terminum & rationem fundandi; quia nulla esset distinctio à relatione Prædicamentali, nam & illa si ponitur, necessario fundandi ratio, & terminus ponitur, quod etiam urgebatur supra contra Explicationem tertiam.

Dixi. Quod eo ipso, quia ponitur subiectum Relationis Transcendentalis, poni debeat terminus, sed non intelligendo per ly poni, quod scilicet existere debeat terminus, quia Relatio Transcendentalis, etiam ad terminum possibilem potest referri. Sed per ly poni, intelligitur, quod hoc ipso quia ponitur subiectum Relationis, non careat termino proportionato, & sic v.g. posita Omnipotentia Divina, hoc ipso est relatio ad Creaturas exigens possibilitatem illarum tanquam terminum, posita scientiâ respondere illi debet scibile, non dico actu existens, sed saltem possibiliter, consequenter etiam agnosco scientiam ad scibile referri relatione Transcendentali, licet sciens referatur ad scibile relatione Prædicamentali eò quod possit esse subiectum hujus relationis, & non esse sciens.

Dixi. Quod Relatio Transcendentalis à Prædicamentali non penes rationem fundandi intrinsicam distinguatur, sed penes impedibilem positionem omnium requisitorum, posito quod ponatur subiectum relationis Transcendentalis, ita ut si inter duos parietes, similitudo esset relatio transcendentalis, hoc ipso, quia unus paries qui est subiectum relationis ponitur, deberet poni & alius, quod

non est in relatione prædicamentali, hinc quia posita una albedine, non est necesse poni aliam inimpedibiliter, etiam à Deo, duæ albedines, non est necesse, ut referantur ad se relatione Transcendentali. Est item relatio Convenientia, in natura humana, quam habens Petrus & Paulus, actu existentes; quia tamen non est necesse, ut posito subiecto hoc Relationis, quod est Petrus, ponatur etiam Paulus; ideo, nec referuntur ad se, Relatione Transcendentali.

PROBARI potest Bonitas huius Explanationis; quia id videntur sentire omnes ut plurimum, quantumvis id expressis verbis non doceant, omnes enim Relationem Transcendentalem, volunt esse Essentialem relatione, secus de Relatione Prædicamentali sentientes. Tum quia Relatio Transcendentalis, ex vi nominis est relatio imbibita, adeoque innexa essentialibus prædicatis, opponitur quæ Relationi advenienti, opponitur autem relationi advenienti, si dicatur esse talis, ut posito ejus subiecto, non possit abesse ab illo, sed necessario debeat adesse; necessario autem adest, si posito Relationis Transcendentalis subiecto, seu referibili, hoc ipso poni debeat, totum quod ad illam relationem requiritur. Tum quia convenit hæc explicatio omni, soli, & semper.

DICES posita Paternitate necessario debet ei respondere Filiatio, & quidem hoc ipso; & tamen Paternitas, & Filiatio, non referuntur ad se relatione transcendentali, ergo non ex eo aliquid est relatio Transcendentalis, quia posito subiecto referibili, hoc ipso ponitur, & ratio fundandi, & terminus quem coexistit illud subiectum.

RESPONDETUR. Cum hoc ipso quia ponitur subiectum, quod est postea Pater, non sit necesse poni Paternitatem & Filiationem, hoc ipso Pater ad Filium, non referetur relatione Transcendentali, licet Paternitas præcipue si poneretur formalitas nemine cogitante distincta, referatur ad Filiationem relatione Transcendentali; non minor est enim nexus Filiationis cum Paternitate, quam Unionis cum unibilibus, Omnipotentia cum possibilibus. Ergo si hæc dicunt relationem Transcendentalem dicit eam etiam Paternitas ad Filiationem.

DIFFICULTAS III.

An Relationes Transcendentales, sint rebus absolutis primo Essentiales?

Sensus tituli est: An ratio v. g. Creaturae, sit Primo essentialis, Homini? Item, an ratio Causæ, sit primo v. g. essentialis Mate-

riæ? Negativam contra torrentem Doctorum probavit Smiglec. & ostendit, Relationes Transcendentales, non esse primo essentialis, rebus absolutis. Non est autem quaestio, quod Relationes Transcendentales, sint rebus absolutis identificatae realiter, aliàs esset aliquid verè à parte rei in homine, quod non esset dependens à Deo, scilicet illud, quod distingueretur realiter ab esse Creaturae in Homine. Sed est quaestio: an Relationes Transcendentales non tantum sint identificatae, rebus absolutis, sed etiam an sint de primo illarum conceptu. Jam ad controversia accedendo.

DICENDUM I. *Relationes Transcendentales neg. esse primo, neque secundo essentialis rebus absolutis, prout sunt nemine cogitante, seu prout Physicè spectantur.*

PROBATUR I. Non datur ulla distinctio Scotistica inter formalitates, jam autem, si aliquid esset primo, & aliud secundo essentialis, nemine cogitante, daretur hæc distinctio. Revolvantur dicta de hac distinctione.

PROBATUR II. Ratio primò & secundo essentialis, sunt conceptus nostri & Intentiones, quas habito in re fundamento, intellectus sibi fabricat; ergo sicut nostræ Intentiones, non dantur nemine cogitante, ita nec dabitur ratio primò, vel secundo essentialis.

PROBATUR III. Posito quod relatio Transcendentalis, esset secundo essentialis primò illud essentialis, vel est in re, & nemine cogitante, illud secundo essentialis, vel non est nemine cogitante; si non est, ergo distinguuntur, vel realiter, vel Scotisticè distinctione; si autem illud primò essentialis, est realiter secundo essentialis, ergo quod est ipsum illud secundo essentialis, est realiter primò essentialis, adeoque non est dicendum, quod unum sit primò essentialis nemine cogitante, & aliud secundo essentialis; cum hæc nemine cogitante sint idem realiter.

DICENDUM II. *Relationes Transcendentales non esse primo essentialis rebus absolutis, Metaphysicè spectatis.*

PROBATUR I. Auctoritate.

PRIMA AUCTORITAS ARISTOTELIS. Qui 6. de Qual. ad hanc thesim. An aliqua Qualitas sit ad aliquid? Respondet. Non de-
bet conturbari, ne quis nos dicat, de Qualitate propositum facientes multa eorum que sunt ad aliud connumerasse, ubi ut vides sentit Arist. de ratione Qualitates rationem Relativam non esse. Idem habitum scientificum qui dicit ordinem ad actus, numerat inter Qualitates, quod non potuisset facere, si sensisset primò essentialis esse habitui referri ad actus, sed potius, reposituisset illum, in prædicamento ad aliquid. Ex qua auctoritate, sic formatur argumentum: ad in eo prædicamento res reponi debet, quod

quod primo essentialiter spectat, sed absoluta, quamvis dicentia relationem aliquam, non ponit Arist. in prædicamento ad aliquid, ergo istud ad aliquid, non est illis primo essentialiter.

II. AUCTORITAS est St. Aug. 7. de Trin. c. 1. & S. Th. 1. part. q. 44. a. 1. ad primum & ibidem q. 13. a. 7. ad l. ex qua auctoritate St. Aug. sic formatur argumentum: agebat ille contra Arrianos loc. cit. asserentes, essentialiter tres personas differre. Id quod advenit essentialiter, jam constituta, non est primo constitutum essentialiter, sed relationes divinæ adveniunt essentialiter jam constituta, ergo non sunt primo essentialiter illi. Minor probatur quia essentialiter prior est omni relatione, quælibet enim essentialiter, prius est in ordine ad se, quam in ordine ad aliud.

III. AUCTORITAS est SCOTT. In quartum dist. 12. q. 1. ex quo sic formatur argumentum: Implicat relationem, esse primo de essentialiter absoluti, quia implicat naturam essentialiter non requirentem terminum, esse essentialiter requirentem terminum; sed si de ratione prima absoluti foret relatio, absolutum, quod non requirit essentialiter terminum; requireret primo essentialiter terminum, jam enim esset primo relativum adeoque; dicent essentialiter, ordinem ad aliud.

PROBAT. II. SMIGL. Quod est primo essentialiter rei absolutæ, constituit eam in illo esse absoluto, sed Relatio, non constituit rem in esse absoluto, Ergo. Major probatur. Primo essentialiter rei, vel genus est, vel differentia hæc autem sunt constitutiva. Minor probatur. Implicat per respectum constitui absolutum in esse absoluto. Ergo Relatio non constituit rem in esse absoluto. Antecedens probatur cujus effectus formalis est, dare esse requirentem terminum, illud non potest dare esse, non requirentem terminum, sed respectivi effectus formalis est, dare esse, requirentem formaliter terminum; nam est essentialiter ad aliud. Ergo

PROBAT. III. IDEM. Cum aliqua differunt formaliter & definitione, unum non est de essentialiter alterius primo, distinctæ enim definitiones, distincta primo essentialia indicant; sed absolutum, quæ absolutum, & relativum, quæ relativum, differunt formaliter & definitione, ergo unum non est de essentialiter alijs primo.

CONFIRMATUR. Differentia specifica unius, ultima, non potest esse ultima differentia specifica alijs, dabitur alioqui Ens rationis & Chimæra, poteritq; differentia Cervi esse differentia Hirci; sed ratio absoluta, est ratio ultimò differentialis absoluti, & ratio respectiva, est ultimò differentialis relativi; ergo primo essentialiter una, non constituit aliam.

RESPONDETUR. P. Paulus Kaczinski qui

Ingenium speculativis aptissimum, transtulit ad curas concionatorias, quæ prælo jam destinatæ, æquant plausibiles S. Scripturæ Interpretes: quod purè absolutum, non possit differentialiter constitui respectivo, esseque illi primò essentialiter, sed impurè absolutum benè potest constitui, idque primò à relativo.

CONTRA I. est, Tum quia responsio hæc salvaret, quòd differentia Cervi, possit esse differentia Hirci, impurè accepti. Tum quia principium petit, de hoc enim quæritur; an dari possit tale impurè absolutum. Tum quia argumentum S. Augustini nullum esset, nec posset dicere S. August. divinam essentialiter, solam esse, purè absolutam; quia argumentum illius non haberet propositionem universalem, adeoque; nihil concluderet.

CONTRA II. Quia de illo impurè absoluto, posset verificari, est respectivum, & non est respectivum; in hoc enim stat ratio illa impurè absoluti, seu misti, ex absoluto, seu non respectivo, & ex respectivo, quo posito, sic quæritur: Vel de eodem verificantur hæc contradictoria, vel non de eodem; si de eodem, ergo istud impurè absolutum implicat; si non de eodem, ergo de diversis; ergo diversa erit ratio absoluti & respectivi; ergo ulterius idem non erit primo de essentialiter alijs, nam nihil est diversum, à suo primo essentiali.

CONTRA III. Impurè absolutum, est compositum ex absoluto, & relativo, ergo est resolubile, saltem per præcisionem objectivā in respectivum, & absolutum; si enim non esset resolubile impurè absolutum, in respectivum, & absolutum, quomodo esset compositum, ex absoluto, & respectivo: Posito autem, quod possit resolvi impurè absolutum, in absolutum, & respectivum, sic poterit formari argumentum. Præcisâ ratione relativi, vel manet, intentionaliter in illo absoluto ratio respectivi, vel non manet; si manet intentionaliter, ergo non est præcisâ; si non manet intentionaliter, in illo esse absoluto ratio relativi, ergo non est illi primò essentialis, etiam in præcisâ conceptu debet manere, ut v. g. Quia Homini est primo essentialiter animal rationale, non præscindit homo, ab animali rationali. Et admissis solis præcisionib; formalibus, restaret quærere, utrum clarè respondeat respectivum, sub termino absolutum, vel non respondeat clarè; si non responder clarè, ergo non est iste primo definitivus absoluti conceptus, sicut quia non respondent in animali differentia vel individua, ideo nec individua sunt de primo essentiali conceptu, si autem clarè responder in conceptu absoluti respectivum, quæ illud diceretur non simpliciter respectivum?

DICENDUM III. Absolutis quæ suo modo Relativa sunt, est primò essentialis relatio.

† Qo 4 PRO-

PROBATUR I. Quia omni reduplicato, ratio reduplicata, est primò essentialis, ut patet in albo, quò albo, est essentialis albedo, sed dum absolutum sumitur, quia relativum, reduplicatur esse relativum, ergo istud esse relativum, est primò essentialis absoluto, quò relativum est.

PROBATUR II. Relationi, quò relatio est, est primò essentialis relatio, nihil enim quidquam prius, se ipso est, nec quidquam prius essentialis, se ipso; ergo & absolutis, quò relativa sunt, erit essentialis.

PROBATUR III. Quia si absolutis, quò relativa sunt, non esset primò essentialis esse relativum, non esset, per quid constitueretur, primò, in esse quò relativo, non enim constitueretur, primò, per absolutum, ut supra probatum, ergo deberet primò constitui per relativum.

OBJICITUR I. Dantur absoluta, quò sine Relationibus Transcendentalibus, nec esse, nec concipi possunt. v.g. Homo non potest esse, nec concipi, sine respectu ad DEUM, ergo de ratione absoluti, sunt relationes Transcendentales.

RESPONDETUR. Adequato conceptu, & non præscindente, non posse concipi hominem, sine ordine ad DEUM, secus conceptu inadæquato, præscindenteque, vel verum id de homine reduplicative, quò Creatura est sumpto, adeoque sumendo absolutum quò relativum est.

Hic ipse medius terminus sic aliter proponitur à P. Joanne Moravski. Illud est de primò essentiali conceptu alicujus, sine quo res illa non potest concipi & definiri, siquidem modus definiendi qui est juxta exigentiam rei, sequitur modum essendi: atqui nulla creatura potest concipi nec definiri sine ordine ad Deum, idque postulante natura ipsius creaturæ, & solum per accidens ex nostra ignorantia, ergo ordo creaturæ ad Deum est illi primò essentialis. Probatur minor, tum à posteriori quia de facto sicut Deus definitur per Ens à se, ita creatura definitur, per esse ens ab alio, tum à priori quia omnis creatura est ordinata ad hoc ut ducat in cognitionem Creatoris.

RESPONDETUR. Minorem veram esse de creatura, secundum quod creatura est, de qua acceptione loquebatur conclusio tertia, sed non esse veram de creatura, specificativè spectata. Et certè ponamus Atheum, ille negabit ordinem essentialem ad Deum, & tamen non negabit definitionem hominis, Animal rationale, ubi in re quidem latet ordo ad Deum, non tamen in ipsa formaliter sumpta definitione, quod ipsum est signum à posteriori, non definiri res omnes creatas per ordinem ad Deum. Negatur ulterius omnem rem primò essentialiter, esse ad hoc ordinatam, ut ducat in Creatoris notitiam.

INSTAT. Dum concipis creaturam aliquam, vel concipis ens illimitatum vel limitatum, vel indifferens ad esse limitatum & illimitatum: si primum exi ex infidelitate; si secundum ergo concipis creaturam, eo ipso esse ab alio, nam nihil à se ipso limitatur, aliàs esset invidium boni alicujus sibi ipsi: si tertium ergo eo ipso concipis ens limitatum & finitum, quia ipsa indifferencia & periculum limitationis, est formaliter limitatio.

RESPONDETUR. Quando concipitur creatura qua creatura est, concipitur quid limitatum, secus si concipiatur creatura specificativè sumpta, tunc enim non concipitur ut indifferens ad limitari; quia non concipitur indifferens ad esse Dei. Animal enim v.g. non est indifferens ut sit illimitatum, seu DEUS, sed concipitur secundum se, præscindendo ab esse limitati & non limitati. Propositio illa. Nihil à se ipso limitatur, in genere causæ efficientis vera est. præsupponeretur enim sibi ipsi, limitatur tamen unumquodque à se ipso: secundum exigentiam Metaphysicè spectatam, nam limitatur à se ipsa essentia hominis, ne exigeret esse essentia leonis, nec inviderebatur sibi bonum, cum illud habere essentiam leonis, non sit bonum, sed malum illius. Indifferencia ad esse limitatum & illimitatum, non est periculum tantum limitationis, sed expectatio determinationis ad illimitatum vel limitatum, quod non est formalis limitatio tantum, sed & capacitas illimitationis, taleque est omne illud quod est indifferens ad Deum & creaturam, ut Substantia. Unde consequenter, nego etiam tali absoluto, si specificativè sumatur esse primò essentialem relationem. Nego item.

Creaturam specificativè acceptam, definiri posse sine ordine, ad Deum, ut cum dicitur homo est animal rationale, sed id est verum de creatura reduplicativè accepta.

OBJICITUR II. Omnibus à Creatura v.g. præcis, & relicto esse absoluto, seu specificativa ejus acceptione, adhuc Creatura erit ens ab alio, ergo Creatura, quocunque modo sumpta primò essentialiter dicit relationem.

RESPONDETUR. Præcis omnibus, in re, & Physicè, fore illud Ens ab alio, non autem secundum quod spectatur Metaphysicè, certè enim communis ratio v.g. animalis, non importat rationem Creaturæ.

OBJICITUR III. Id quod specificat aliud, debet esse illi primò essentialis, sed dantur aliqua absoluta, quò specificantur per respectum ad aliud, ut Actus specificantur, ab objectis, Potentia ab actibus.

RESPONDETUR. Specificativa intrinseca esse primò essentialia, non autem specificativè extrinseca; actus autem specificantur ab ob.

objectis extrinsecè, intrinsecè autem à sua entitate, licet nobis ignota. Vel certe sumitur etiam tunc actus, secundum quod relativum quoddam est.

Objicit. IV. Maur: hic qu. 53. probando potius non dari Transcendentales relationes aut si dantur debere esse superadditas, quicquid sit de mente illius, pensanda sunt argumenta. Si daretur quocunque sensu relatio Transcendentalis, deberet esse identificata absolutæ substantiæ, sed non potest esse identificata quia Arist. dicit cap. de Relativis quod Substantiæ completæ, non sint relativæ per se ipsas. Et 14. Metaph. r. 4. docet etiam partiales substantias, non esse relativæ per se ipsas.

RESPONDETUR. Ad hos textus salvandos sufficit dicere, quod ly per se ipsas, supponat pro primo essentialiter. Concedimus autem quod substantiæ non sunt primo essentialiter relativæ: quod autem inde non debeat inferri, quod relativa transcendentaliter referantur relatione distincta, colligi debet ubi actum de distinctione relationis.

Objicit. V. Idem. Videtur per se notum, quod sicut esse in alio, est esse proprium accidentis, & fundatur in esse per se, quod est proprium Substantiæ, sic esse ad aliud quod est proprium relationis, fundatur in esse absoluto: sed si relatio identificaretur cum Substantia, esse relativum non fundaretur in ullo absoluto, nam esse substantiale est esse primum, & non fundatum in alio esse priori. Ergo.

RESPONDETUR. Ad hoc ut salvetur quod esse relationis fundetur in aliquo absoluto sufficit dicere quod relatio transcendentalis supponat primo essentialem conceptum absolutum.

Instat. I. Ex debilitate esse in sequitur ut non possit cum Substantia identificari: esse autem ad est debilius præ esse in.

RESPONDETUR. Non apparet qui esse ad sit istud esse debilissimum & in identificabile, cum de facto identificetur Substantiæ divinæ. Etiam posita ista debilitate esse ad non ex debilitate hoc habet accidens, quod non possit identificari Substantiæ sed ex separabilitate entitativa, quæ non potest ostendi circa esse ad. Denique etiam esse in Metaphysicum, potest identificari cum Substantia, ergo idem dicendum de relatione transcendentali.

Instat. II. Etiam in DEO esse relativum v.g. Patris fundari debet in esse absoluto Dei, cum quo licet identificetur realiter, non identificatur omnimodè, ergo multo minus id erit in creatis.

RESPONDETUR. Quod relatio distinguatur virtualiter à Deitate, id oritur præcisè ex

eo, quia aliquod prædicatum reale primo intentionale, debet convenire relationi, quod non convenit Deitati v. gr. esse distinctum realiter, & quia nihil simile ostenditur in relatione transcendentali, poterit illa identificari absolutis, licet non sit de primo essentiali conceptu eorundem.

Instat. III. Omnis relatio definitur per additamentum, ponendo in definitione terminum, Substantia autem debet definiri sine ullo additamento.

RESPONDETUR. Substantiam primo essentialiter spectatam debere definiri non per terminum, potest tamen ita definiri secundo essentialiter spectata.

QUÆSTIO III.

De Fundamentis Relationum & requisitis.

Quod attinet ad fundamenta, tria numeravit Arist. 5. Met. tex. 20.

PRIMA FUNDAMENTUM Relationum est, Unitas & Numerus, hoc est Convenientia & disconvenientia, & quia convenire possumus vel in substantia, vel in Qualitatibus, vel in Quantitate, Unitas, in Substantia fundabit identitatem, Unitas in Qualitate similitudinem, Unitas in Quantitate Æqualitatem.

II. FUNDAMENTUM est Actio & Passio, quorum enim unum agit, & aliud ab illo efficitur, necessario hæc referuntur inter se.

III. FUNDAMENTUM est Mensura, & Mensurabile, & hoc fundat omnes Relationes Potentiarum, Habiruum, Scientiarum, Actuum ad Objecta. Nomen enim hoc Mensura, non indicat Quantitatem, sed adæquationem duorum, secum connexorum, unumque per aliud determinatur. Cæterum fundamenta hæc, non sunt verbis accuratis expressa, unitas enim & numerus, non sunt fundamenta, sed potius ratio fundandi; Item nec actio aut passio, quæ quidem sunt ratio fundandi, unde potius potentia activa & passiva, dici deberet fundamentum.

Ad prædicta fundamenta, revocantur quæcunque aliæ Relationes. Unde Propinquitas, cum sit unitas secundum locum, Coætaneitas, seu coexistentia, cum etiam sit unitas secundum tempus, revocabitur ad unitatem; Convenientia item Accidentium revocabitur ad Identitatem, nam quamvis duo alba, ad se referantur unitate similitudinis, quia similia sunt, quorum Qualitas eadem est, duæ tamen albedines, quæ habent in suo genere talem convenientiam, qualem homo, & homo, ideo etiam referuntur ad se relatione identitatis. Distantia item, quæ est discon-